

tiq̄ genere satis non fit prægrandi isti obligationi. 160 Et mihi quidem indubitatum est Reges nostros circa hoc securâ conscientia procedere, quia iuxta allegata ab iis, ad quos talis spectat expeditio. Videant ergo illi quomodo in hac parte se gerant, quibus incumbit Regiam exonerare conscientiam, ne proprias aggrauent, malorum ingentium, de quibus est dictum, auctores; timeantque formidabilem Christi sententiam *Matth. 18. v. 6.* dicentis: *Qui autem scandalizauerit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Sic, sic meretur demergi, qui causâ est damni spiritualis in pusillo vno, ut scilicet molæ asinariæ adstrictus in abyssum inferni demergatur. Quid ergo de illo erit, qui complurium temporalium ac spiritualium est causâ damnorum? Sic arguit D. Ambrosius; *Quod si is, inquit, qui unum scandalizauerit, mola circumligatus iactari debet in mare; quid de te pronuntias, per cuius scelus omnis anima sanciat a est?* Huic certe non asinaria mola suspensâ ad collum, sed omnibus excelsior mons, ut poenâ pondus, peccati ponderi reddatur æquale, Indicâ in multitudine omnium maxime scandalizanti pusillos, jam feliciter credentes in Christum; & infeliciter forsitan, sublati spiritualibus prædiis, defecturos. Sed meliora Deus, quando neque hostibus par est errorem istum orare.

CAPVT XVI.

An officia honoraria in Indijs vendi licet à Rege Catholico possint.

161 **D**ico primò. Tot sunt Doctores, & quidem non contemnendæ auctoritatis, qui licitam dicunt officiorum venditionem secundum se consideratam, & ita praxis huiusmodi venditionis inualuit, ut licet vnus aut alter ex Recentioribus contrarium teneat, non possit de eximia talis sententiæ probabilitate dubitari. Videndi illi apud Dom. Solorzanum *Tomo 2. Lib. 5. Cap. Vnico. num. 99. & seqq.* & in Politicâ *Lib. 6. Cap. 13.* Dianam *Parte 3. Tract. 5. Resolut. 108.* P. Thomam Sancium *Tomo 1. Consiliorum Lib. 2. Cap. 1. Dub. 37.* Cardinalem Lugo *Tomo 2. de Iustitia, Disput. 34. num. 24.* Eligium Bassæum *V. Emptio num. 8.* Pharaonium *Tract. 2. Sessione 21. Casu 5.* qui eandem amplectuntur, & nouissime Ioannes Pontius in *Cursu Theologico Disput. 59. Quest. 1.*

162 Communis ratio est, quia sunt talium officiorum domini, & ita de illis disponere possunt, si id esse vtile iudicauerint. Quia tamen sunt qui non dominos, sed dispensatores agnoscunt, ex eo etiam potest sententia ista probari. Nam Principes supremi habent dispensationis amplissimum jus, prout scilicet conueniens esse Reipublicæ iudicauerint: ergo & per venditionem, quia illa vtilis esse potest; sicut tutor, etsi dominus honorum non sit ad pupillum spectantium, disponere tamen de illis potest vtilitatis ratione permotus, & eadem comprobata.

163 Dices non posse vtilitatem subesse quando communiter Doctores, etiam si possibi-

Forum, ad qua expeditio spectat, culpa detegitur.

Matth. 18. v. 6.

Forum pena scandalizantium pusillos, Indos saluet.

D. Ambrosius, apud Nouarium ibi, quod tamen in Auctore non occurrit.

Affertio 1. officia posse vendi, esse vtilia probabile.

Ratio ex penâ dispensandi facultate.

Ratio ex dispensandi facultate.

litem venditionis admittant, conuenientiam negant, ut videri præsertim potest apud P. Lessium *Lib. 2. Cap. 32. Dub. 4.* & P. Fagundez de *Iustitia Lib. 5. Cap. 23. num. 7.* Non potest autem aliquid simul esse vtile, & disconueniens.

Sed hoc non vrget. Quia Doctores non negant aliquando esse conuenientiam posse; alioquin secum ipsis eorum dicta pugnant: dicunt autem communiter, & ut in plurimum non esse conuenientem, & ita sine magnâ consideratione non esse ad illam deueniendum. Est autem inter illos non vnus circa hoc sentiendi modus: aliqui enim conuenientiam in eo specialem agnoscunt: pro quo videri potest P. Azorius *Tomo 3. Lib. 8. Cap. 7. Quest. 3.* P. Fillucius *Tomo 2. Tract. 34. Parte 2. Cap. 2. num. 44.* Corduba in *Summa Quest. 117.* quos adducit, nec reprobatur Diana *supra.* Et Cardinalis Lugo *supra* etiam *num. 27.* bene statuit pro regulâ hoc ad prudentiam Principis cum consilio virorum prudentium ac timentium Deum spectare, qui de venditionis conuenientia iudicabunt.

164 Dico secundò. Assertio præcedens ad Indias potest cum eodem gradu probabilitatis extendi, & fortè majori: Quia cum in illis homines locupletiores sint, maior inde vtilitas potest accrescere ad occurrentium necessitatum subleuamen, minora etiam patiuntur grauamina quàm in hispaniâ degunt, qui cum ad contributiones frequentes adigantur, minorem reportant fructum ex officii pretio comparatis.

165 Dico tertio. Officia iurisdictionem habentia vendi etiam possunt à Regibus Catholicis. Sic citati, si nonnullos excipias, contra quos ingeniosè philosophatur Cardinalis Lugo *num. 28. & seqq.* Probatur autem ex eodem fundamento, quod vel hoc probat, vel nihil. Vbi tantum dici potest periculum in venditione subesse tali, quia iudicaturam emens, ut pretium à se datum compenset, iustitiam vendet, & etiam iniustitiam, si cum emolumento futurum sit. Quod certe non vrget: cum supponamus venditione talè non nisi dignis hominibus faciendam, à quibus nihil timeri tale cum fundamento possit, sicut in aliis est officiis asserendum, in quibus etiam simile periculum esse potest. Et quidem multi plus tabellionem, quàm iudicem timent, cum à fide instrumentorum maxima quæque iustitiæ momenta dependeant. Vbi & conuenientiæ ratio afferri potest, de qua P. Azor *supra*, quod scilicet emens officium, cum moderatione procedet, ne simul, si secus egerit, & officium perdat & pretium. Et cum venale officium sit, vereri meritò potest, ne Princeps facillè contra se credat obiecta, ut nouum emolumentum ablatione officij, & venditione iteratâ conquirat.

166 Confirmatur Diui Caroli Borromæi exemplo, qui Vritano Principatu vendito, pretij summam vno die est pauperibus dilargitus: & tamen Principatus talis iurisdictionem habebat, sicut & Reges nostri vasallagium vendunt, cum Titulo Ducatus, Marchionatus, Comitatus, Vicecomitatus, & similibus, vbi licet discrimen aliquod esse videatur inter Titulatos istos, & inferiores iudices, quod Cardinalis Lugo sapienter expendit: non tamen absolutè conuincit, sed maiorem aliquam conuenientiam probat, quod est

præcluditur, quia esse in eo vtilitas potest.

Regula in eo seruanda.

Affertio 2. pro Indijs idem statuent.

Affertio 3. pro habentibus item iurisdictionem.

Vulgaris de vendenda iustitia obiectio diluitur.

Exemplum D. Caroli vendentis Vritanum Principatum, & alia Regum nostrorum, vbi de Titulatis notandum aliquid est.

est citati Auctoris intentum. Et quidem cum ille etiam existimet vasallorum dominum posse officia vendere, siiple vasallagium emit, suspicio esse potest, quod sit illa etiam, quæ iurisdictionem habent, venditurus: ergo non euitatur inconueniens, nullumque est inter officia prædicta discrimen: possunt igitur vendi à Rege, vtilitate dispectâ.

167 Dico quartò. Assertio præcedens etiam respectu Indiarum locum habere potest. Probatur ex dictis circa illam, & circa secundam. Item à simili. Nam Auditores Regij nequeunt intra Prouinciam matrimonium contrahere, sicut neque eorum filij: quod ita seuerè leges prohibent, ut ex solo tractatu poenam amissionis officij subeant. Cuius ea est ratio, quod scilicet iustitiam non ceaseantur rectè administraturi, carnis & sanguinis respectibus retardati. Quibus non obstantibus, licentiæ ad hoc frequenter conceduntur pretij non leuis intuitu, quod seruitium dicitur: & ita in Regali Audientia Limanâ maior Auditorum pars huiusmodi potitur indulto. Quod ergo esse inconueniens poterat, pretij exhibitione sopitur, quia vtilitas ex venditione non contemnenda deprehenditur: cum tamen in ordine ad exercitium iustitiæ per idoneos ministros leges prohibitiuæ seruentur, & ita iudiciale aliquid vendi est manifestum. Ergo & in venditione officij pariter dici potest. Nec dicas, licentiæ tales iniuste dari; id enim dici nequit absolute loquendo: quia scilicet Rex potest legem dictam abrogare, ita & in eadem dispensare. Dixi, *Absolute loquendo*, nam in casu individuali videndum attentè quibus concedatur indultum: graui enim ex huiusmodi matrimoniis incommoda oriri experientia monstrauit, & merentur tales ut in solitudinem à cognatis, asperam licet ipsis, transferantur.

168 Dico quintò. Officia, quibus erga solos Indos exercetur iurisdictione, non possunt licite vendi. Hoc probò: nam in officiis dictis, quod ementes inquirunt, non est honor, sed vtilitas & copia pecuniæ: ergo cum & pecunia tradita, & alia multò numerosior, sit per emptoris sollicitudinem congerenda, necessarium est miseris istos supra modum grauari, & eorum sanguine conuiuium istud auaritiæ faculentissimum apparari. Et quale hoc in Christianâ Republicâ monstrum, cum Tullius *Lib. 2. de officiis*, gubernatores non solum à cupiditate liberos, sed ab illius etiam suspitione futuros esse testetur? Nec dicas, pingue stipendium assignatum à Rege: nam licet illud iustum fuerit visum, quando talia sunt officia disposita, & res parud constabant, neque ita vanitas & ambitio prouerant: vix tamen jam ad expensas itineris sufficiunt, si præsertim ex Hispaniâ Prætores veniant, aut tota sit conducenda familia, adjectis syndicatus sumptibus, qui non mediocres esse solent.

169 Et quidem cum plus sit quod pro officio datur, quàm quod salarij præstat valor, coguntur sic ementes sine Regio salario seruire; & ita illud è visceribus Indorum excutient. Atqui sine Regio salario seruire Regios Ministros, & eius nomine iustitiam administrantes, & illud aliunde corradere, indignissimum est, & Turcicum sapit ingenium: cum tamen ex diametro

Affertio 4. idem pro Indijs firmans.

Ex matrimonio Regiorum Senatorum validum argumentum.

Pro illis licentiis iniuste conceduntur.

Affertio 5. negans in officiis circa Indos.

Neque ex stipendio persurgium.

Sequeretur sine illo seruire, quod proprium Turcis.

pugnent duæ istæ maximæ orbis Monarchæ. Pro quo ita scribit P. Adamus Contzen *Lib. 1. Politicorum Cap. 16.* *Dno sunt hoc tempore potentes Monarchæ, Hispaniarum Rex, & Turcorum Imperator: diuersa studia vtriusque, hunc tyrannum, illum legitimum Regem ostendunt, Hispanus Academicis, arte bellicâ, navigationibus, plurimo sumptu subditos exercet, ad magna excitat, & raras opes ad Principum dignitatem, ad nobilitatis splendorem, animos alendos ac firmandos impendit. Orbanides verò insidiâ, pauperie, seruitio, tot populos premit: Timariotas, & Ianizaros, Prouinciarum spolijs saginat. &c.* Quid ergo ita Hispano magis indecorum Imperio, quàm si tale quid dici possit, Gubernatores scilicet stipendio fraudatos Prouinciarum Indicarum spolijs saginari? Pro quo multa alia dici possent, sed pietatis isthæc satis; quæ si absit, inutile fuerit dies & noctes Tullios, & Demosthenes declamare. Videatur Illustrissimus Ioannes Zapata *Parte 2. Cap. 18. num. 5. & seqq.* vbi cum multis potestatem concedit, conuenientiam negat, & tres conditiones apponit, quæ quia rarò adesse possunt, venditio regulariter esse solet iniusta. Vna ex illis ad salarium spectat, de quo dictum. Pro quo & Pontius *Disp. 59. q. 1.*

CAPVT XVII.

Reges Catholici ut possint tributa Indis imponere.

170 **D**ico Primò, id stare licite posse: pro quo specialiter videri potest dudum citatus Antistes *Parte 2. Cap. 19.* Constat, quia vasalli sunt, & ita Regi debent pro necessariis ad commodam administrationem regni succurrere. Circa quod sic D. Ioannes Chrysostomus *Homilia 23.* Apostoli præceptum expendens ad *Rom. 13. v. 6. & 7.* *Propterea ab antiquis temporibus communi omnium sensu Principes à nobis sustentari debere visum est, ob id quod sua ipsorum negligentes, communia curent. Quod si Paulus tunc, cum Gentiles adhuc essent Principes, ista præcepit, multò magis oportet ea fidelibus exhibere.* Sic ille. Verba Apostoli sunt: *Idem enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt in hoc ipsum seruientes.* Vbi tributi præstiti geminam rationem induxit: quia scilicet Reges Dei ministri sunt bono publico destinati. Seruientes. Ut quasi aliis, qui vtiliter ex conuentione seruiunt, sua debeat merces congrua & opportuna persolui. Nec seruitium quodlibet, sed continuum designat Apostolus: verbum enim Græcum *συνεχόμενον* significat continuam diligentiam & inuensam curam, ut Dei loco bonis sint in tutelam, malis in vtilitatem, ut docet P. Cornelius adnotauit. Et D. Augustinus *Lib. 4. de doctrinâ Christianâ Cap. 29.* vno verbo expressit, pro *Seruientes reddens Perseruantes.*

171 Pergit D. Paulus, & sic infert: *Reddere omnibus debita: Cui tributum, tributum: Cui vectigal, vectigal.* Quod sic construendum iuxta citatum Interpretem, subintellecta supplendo: *Reddere omnibus debita: Cui tributum debetur, tributum reddite: Cui vectigal debetur, vectigal reddite.* Reddant ergo Indi: sed continuam illam, diligentem, & inuensam curam sibi præ aliis debitam

P. Adamus Contzen. Illorum imperium tyrannicū, Hispanum legitimum vade probetur.

Ioannes Zapata.

Affertio 1. tributa posse in his imponi.

D. Ioan. Chrysost. sed non secundum Brixij exclamationem. Rom. 13. v. 6.

Duplex ex Apostolo ratio, Regum obligationem ostendens.

P. Cornelius.

D. Augustinus.

Robur additum ex D. Paulo v. 7. & quomodo sit debita Regalis cura, ob varios titulos.

experiantur. Debitam quidem vti miseris & pauperibus, & qui labore suo ingentes Regibus Catholicis thesauros congefserunt. Circa quod non est opus dixisse plura, sed verbis P. Acoſta Lib. 3. de Procuranda Indorum salute Cap. 6. claudere probationem; sic enim scribit: *Quam rem, cum & diuinarum Librorum auctoritas, & ratio ipsa satis munit atque confirmet; neque nostrorum Theologorum, eorum quoque qui causa Indica studiosiores sunt, aliquantulum ab eis tributa exigi posse quisquam neget, nihil est cur in hoc loco plura & expedito amplius immoremur.* Sic ille. Quae autem in hoc esse moderatio debeat, Indorum diuersitas, & terrarum varietas, post considerationem, Christiana pietate inter praecipuos Consiliarios adhibita, feriam & industriam indicabit. Vt aliquid tamen circa id subiiciam,

Affertio 2. Indis aduersus aduersitas nequit imponi tributum.

172 Dico secundo. Indis in Mineralibus ex necessitate laborantibus non videtur vilo modo licitum aliqua imponi tributa. Ratio est vrgens. Nam stipendium est labori eorum inaequale, unde qui voluntarie laborant, plus multo lucrantur: ergo quod stipendij deest, remissione debet tributi aliquatenus compensari. Nec dicas stipendium non a Rege, sed a Minerarum dominis esse soluendum; id enim minime satisfacit: nam tales domini stipendium tantum modo per legem taxatum soluunt, & huius improprietatis causa est ipsa lex. Praeterquam quod ex huiusmodi labore commodum magnum reportat Rex, cum ipsi quinta pars eruti thesauri reddatur: ergo debet ille relaxatione tributi, quod minus est mercedis labori redditae compensare. Si tamen compensatio dici potest, ubi etiam relaxatione posita, valde est minus, quod labori redditur miserorum. Et Assertionem nostram probant ea, quae adducit Dom. Solorzanus Tomo 2. Lib. 1. Cap. 18. & praesertim num. 50. & seqq. & in Politica pag. 174. §. Lo qual. Quod cum tot, atque adeo graua seruitia (de quibus in praecedentibus Capitulis egimus) Indi subire cogantur; in tributis, quoad fieri possit, leuari debent: cum operarum & munerum personalium praebitio inter tributa connumeretur, ipsique tributis non minus vilis & necessaria sit, ut late docet & probat Adamus Costen Lib. 8. Politicor. Cap. 8. pag. 637. & nemo debeat duplici onere molestari, nec ultra vires praegravari, ut in Rubri. Et Nigro. C. Ne opera a Collatoribus exigantur. l. Priuata. Et l. Euidenter C. de excusat. Muner. Lib. 10. &c. Quis enim non videat doctrinam hanc Assertioni propositae aperte suffragari, vt vel eam probet, vel nihil? Cum enim seruitium, quod in Mineris effodiendis Indi exhibent, adeo graue sit; nec stipendium ipsi proportionatum accedat; dum soluere alias tributum coguntur labore ipso affatim persolutum, manifestum est duplici onere molestari, quod omni est aduersum aequitati, & dissonum pietati.

Valide illa roboratur.

Dom. Solorzanus.

Affertio 3. tributum per capita tantum exigendum.

173 Dico tertio. Tributum Indorum iuxta capita tantum exigendum: & graue peccatum est a communitate indiscriminatim exigi, quidquid Indorum Reguli clament aliquorum mortes comprobantes. Ratio est clara; nam mortui tributa non debent, & quae debebant a viuus exigere, inhumanum est, & iustitiae penitus aduersatur. Et ita decisum Regio rescripto Regis nostri Philippi Secundi An. 1562. apud Dom.

Solorzanum supra num. 97. & in Politica pag. 176. Col. 2. Vnde ab illius, & successorum alienissimum pietate, quod narrat Fr. Ioannes de Silua in Animaduersionibus saepius citatis fol. 88. pag. 1. inuentam scilicet viduam, quae pro maritis tribus, duobus filiis, & genero vno, mortuis omnibus, tributum soluere cogeretur.

174 Dices morientibus quibusdam, nasci alios, & qui nascuntur & ob minore aetate a solutione tributi eximuntur, grandiores factos ad eam obligari: & sic posse quorundam defectus aliorum superuentione pensari. Vnde sunt Iurisperiti aliqui magnae auctoritatis, qui obligationem agnoscunt in communitate ad quorundam tributi aliquam solui solitam, etiam ad minorem numerum Capita sint redacta: cuius ea videtur esse ratio, praeter consuetudinem; quod licet minor nunc numerus sit, aliquando fuit maior, & deinceps etiam maior esse possit, sicut in censibus accidit: pro quo videnda quae adducit Dom. Solorzanus supra num. 94. & seqq. qui tamen dum ibidem contrarium tenet, non videtur postea locutus consequenter Cap. 20. num. 13. & seqq. compensationem dictam admittens & probans, dum pro mortuis nouo nati sufficiuntur. Pro quo & in Politica pag. 195. Col. 2. §. Ten efeto.

Euaſi ex supplemento nascuntur, & nascendo.

175 Sed hoc non vrget. Nam vt doctrina illa stare possit, quae non est ita recepta, in praesenti nequit applicari: constat enim Indorum numerum non crescere, sed minui; unde compensatio locum habere nequit: sicut neque haberet in censibus, si semper fructus minores essent, vt contingeret si res censuaria redderetur ex parte infructifera: tunc enim pro rato pensio minuenda, iuxta Bullam Pij V. de Censibus, pro qua videri potest P. Lessius Lib. 2. Cap. 22. num. 88. & alij, estque decima inter conditiones.

praelusa ex Indorum diminutione.

& censuum paritate.

176 Dico quarto. Indis infidelibus de rigore iustitiae tributa possunt imponi. Sic P. Acoſta supra, quem sequitur Dom. Solorzanus num. 20. & seqq. & ratio est, quia eorum dominus est Rex Catholicus, cum sit absolutus dominus Indiarum, sub cuius etiam sunt tutela, debetque illis in temporalibus ac spiritualibus prouidere. Quod autem ad conuenientiam spectat, videndum an id expediat vt sic ad fidem compellantur, duriorum inquam tributorum exactioe, iuxta Diui Gregorij doctrinam Lib. 3. Epistol. 26. aliqui enim Indos filios timoris vocare solent. Quod si ita ad fidem venientes non solidi Christiani sint futuri; erunt certe eorum filij, aut nepotes. Si autem medium hoc parum opportunum cedat, liberalitate potius ac benignitate trahendi, pro quo est grauis obligatio in conscientia, cum a Catholicis Regibus debeat Indorum salus mediis commodioribus procurari. Vnde & nouiter conuersis onus tributandi non statim imponitur, & quae succedit impositio valde moderata esse solet, sic Regum nostrorum mitissimo ingenio dispensante. Et ita Paraguarie Ecclesia, Primitiuae aemula, non igne & ferro, sed placidissima Patrum Societatis nostrae tractatione fundata, Regum nostrorum adminiculante clementia, & magnificentiae fructibus exundante, vt & Ministri ex Hispania veniant,

Affertio 4. Infidelibus de rigore iustitiae posse tributa imponi.

De conuenientia diuersimode iudicandi.

Quae Regis Catholicorum obligatio.

Paraguarie Ecclesiae fundatio eorum aemulitate.

niant, & in Reductionibus eorundem expensis sustententur.

Affertio 5. foeminae tributa non imponenda.

177 Dico quinto. Licet foeminae ad praestrationem aliquam obligari possint, quia & pro illis cura Regalis inuigilat, in Indiis tamen non debet tale ipsis onus imponi, sicut in Peruuianis prouinciis factum, non sic in quibusdam aliis, de quo Dom. Solorzanus cap. 19. num. 5. & seqq. & in Politica lib. 2. cap. 20. post principium. Ratio est, quia earum est census tenuissimus, & ita erga reclusas suas afficiuntur, vt pro numulo vno mille clamores emittant. Scio esse plures pro sua tenuitate munificas, ubi pietatis negotium agitur; sed ex iis istae, quae specialius instructae, & ex commercio cum Europaeis, plus & census, & Christianae consuetudinis comparantur, vt pro numulo vno mille facultates, & iuxta eas animi magnitudo. Quid ergo ab istis exigatur, quibus latius fuerit tribuisse? *Prouidentissimi Principis est grauer immunitatis relinquere tributariam functionem.* Sic Theodoricus ore Magni Cassiodori lib. 4. 36. vbi & illud; *Tributa enim non debent a tristibus exigi, per quos tributarios feliciter acquisiti.* Certè si foeminae tributa soluunt, non sine ingenti tristitia eorum exigenda; per eas tamen Reges nostri feliciter tributarios accipiunt, quos pariunt, nutriunt, educant, vt omnium maxime de tributis merita debeant reputari. Accedit communis sententia, quam cum multis tenet P. Thomas Sancius Tomo 1. Consilior. lib. 2. cap. 4. dub. 15. & eum secutus Cardinalis Lugo Tomo 2. de Iustitia disput. 36. num. 69. pauperes scilicet non debere gabelas. Et tales illae, de quibus loquimur.

Cassiodor.

Faues titulus pauperum, iuxta communem sententiam.

Affertio 6. de impuberibus, senibus &c.

178 Dico sexto. Impuberes, pauperes, im-peditos, senes, & huiusmodi alios ad tributa compellere, a Christiana est pietate, immo & humano quoppiam respectu, penitus alienum. Videndus Dom. Solorzanus citato cap. 19. vbi quod ob sterilitatem etiam facienda remissio. In quo quidem euentu Indi Regis Audientis viciniores benignè audiuntur, non ita remotiores, compellentibus Praetoribus Indorum Regulos taxatas integre soluere pensiones, ne eorum tributum incuria Regum ex hac parte patrimonium imminutum. Opus ergo esset vt Regia circa hoc prouidentia verberetur, & Rescripto aliquo Indos iuberet audiri, cum sterilitatis, aut fortuiti alterius casus notam calamitatem ab eisdem contingerit allegari. Quod si dubia; audiantur quidem, & veritate comperta decernatur. Pro quo sic apud Cassiodorum Theodoricus Lib. 4. 50. *Campani*

Sterilitatis tempore facienda remissio.

Remoti etiam audiendi.

Cassiodor.

Vesunij montis hostilitate vastati, Clementia nostra supplices lacrymas profuderunt; vt agrorum fructibus enudati, subleuentur onere tributarie foeminae. Quod fieri debere nostra merita pietas acquiescit. Sed quia nobis dubia est vniuersumque indiffensa calamitas, magnitudinem vestram ad Nolanum, siue Neapolitanum territorium, probatae fidei virum praecipimus destinare, &c. Verendum tamen ne sub probationis praetextu, Indi grauius, nullis probatoribus, onerentur. Obeat ergo pro sui officii obligatione Prouinciam Praetor, sic enim facile poterit quidquid acciderit explorare.

Nec pecunia pro fructibus exigenda.

179 Nec magni videtur indulgentia facienda, quando id, quod Indi ex fructibus tenentur soluere, ob sterilitatis infortuniu in pecunia admittitur, ea moderatione, vt non secundum praesentis temporis valorem, qui maior est, sed secundum antiquiorem sit compensatio facienda. Cum enim species, non pecuniam, reddere teneantur, deficientibus illis iniuria temporum, ad illatum non tenentur pensionem. Vnde neque Theodoricus, impius alias rex & haereticus, talem compensationem pecuniae pro fructibus faciendam esse mandauit; quia durissimum profecto onus est, & quando est tale, iniuste imponi communis sententia est, vt si decem pro centum exigantur: prout videri potest apud P. Sancium supra Dub. 13. Item. Gregorius Nonus Cap. Propter sterilitatem. 3. de locato, & conducto, remissionem faciendam colonis Ecclesiae propter sterilitatem praecipit, *affluentem magno incommodo conductores.* Nulli autem vt Indi magno afficiuntur incommodo, si sterilitas superueniat: unde remissione tributi debet ab eorum Principibus subleuari; alias incommoda geminantur, quandoquidem victualia illis defunt, & aliunde pecunia ad illa emenda prorsus necessaria, eisdem pro tributaria pensione subtrahitur non valentibus reluctari.

Durissimum oneris tributum nequit imponi, & quale illud.

Cap. Propter sterilitatem.

180 Nec de obligationibus Regis Catholici plura, quem scio in deliberatione circa res Indicas, ubi conscientiae periculum agitur, numquam sine Consilij maturitate procedere. Vnde quae a nobis dicta, non tam ipsi, quam iis, quibus directio ista ex officio, aut alias incumbit, aequali esse vsui poterunt: cum praesertim ab eo scripta sint, quem neque ob natale solum priuato affectu ductum suspicari possit: neque ob experientiae defectum; est enim quinquaginta ferè annorum transactione firmata, praecipis quidquam eidem possit imputari. Iam ergo ad alia.